



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte
Et Statv Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

II. De fine huius religionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

Quos omnes effectus nomen illud præ se fert iuxta illud 1. Ioan. 1. *Quod vidimus, & audimus, annunciamus vobis, ut & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre, & cum Filio eius Iesu Christo.* Tertiò est huic religioni proprium; peculiarem obedientiam Vicario Christi promittere, quod inter alias causas, speciali Dei providentia credimus factum, in derelictionem hæreticorum, qui eodem tempore exorti sunt, & speciali odio Apostolicam sedem, atque ad eam catholicam Ecclesiam prosequuntur. Non ergo nomen *Societatis* hæc religio assumpsit ut vniuersalem Ecclesiam sibi arrogaret, sed potius, ut se illius filiam, & peculiari modo illi obedientem profiteretur. Quis autem filiam reprehendat, quod ex peculiari affectu ad matrem nomine eius insigniri gaudeat? Denique nullus reprehendit religiones aliquas, congregationes, aut particulares personas, quæ vel à Trinitate, vel ab Spiritu sancto, vel à conceptione, vel ab ipso nomine IESU, cognominari recipiunt, vel ob peculiarem institutionem, vel singularem deuotionem, vel propter aliquem alium respectum ad talia mysteria: cum ergo hæc omnes causæ, & plures aliæ, quæ insinuatæ sunt, vel cogitari etiam possunt, in Societate inueniantur, meritò à nomine IESU cognomen accepit. Vltimò verò circa nomen hoc præ oculis habenda est multiplex eius significatio, quæ in constitutionibus eiusdem Societatis declaratur. p. 5. cap. 1. lit. A. Quia enim Societas congregatio quædam est, quæ pluribus membris constat, & nouitijs etiam, qui propria membra non sunt; ideo interdum illo nomine significatur tota Societas, ut nouitijs etiam completitur; nonnunquam excluduntur soli nouitijs, & Societas appellatur totum reliquum corpus ex membris suis constans. Inter hæc autem membra quædam sunt, quæ nòdum ad terminum peruenerunt, sed adhuc probantur aliquo modo, & sunt in via, ut scholastici, & ideo vocari solet aliquando illo nomine hæc congregatio, ut constans ex professis, & coadiutoribus formatis, qui iam sunt in termino sui status. Quia verò inter eos professi sunt præcipui, & apud eos est principaliter regimen Societatis, & ministerium eius, ideo specialiter solet eis hoc nomen attribui. Quæ distinctio ad intelligenda ea, quæ dicemus, præ oculis habenda est.

Nomen Societatis vnde in constitutionibus usurpatur.

CAP. V. II.

Quis sit finis huius religionis.

I. Sicut in actionibus humanis earum honestas, & perfectio ex fine pendet, ut est commune Philosophorum dogma, propter quod dixit Seneca epist. 46. *Finem summi boni ad quem factum nostrum, dictumque respiciunt, proponendum nobis esse, ne vita in incertum vagetur.* Imò etiam Christus Dominus Matth. 6. Luc. 11. dixit, ex oculo cordis, & simplicitate intentionis totius corporis lucem pendere. Sicut inquam hoc in singulis actionibus verum est, ita etiam in quolibet vitæ statu; nam finis eius est quasi basis, & fundamentum illius, ut rectè dixit Greg. li. 28. moral. cap. 13. explicans verba illa Iob. 38. *Super bases illius solidata sunt, visa inquit nostra in intima finis intentione subsistit.* Est etiam quasi generale principium, ex quo conditiones, seu proprietates, vel obligationes vniuscuiusque status colligendæ sunt, iuxta illud Arist. 2. Physic. 8. *Sicut principium in speculabilibus, ita finis in moralibus.* Inter moralia autem, status hominum primarium sine dubio locum obtinent. Est denique finis vniuscuiusque status, seu religionis, si proprius sit, veluti propria forma, à qua veluti propria discretia constituens talem religionem, eamque ab alijs distinguens sumitur, ut ex D.

Est item principium in moralibus.

Est denique quasi discretio distinguens statum.

Thomæ doctrina 2. 2. quæst. 184. intelligere licet. Ob has ergo causas ad intelligendum Societatis institutum, eiusque rationes, ac proprietates explicandas, finis illius primò omnium contemplandus est. Atque ita primi etiam nostri Patres, quoties à Summis Pontificibus approbationem huius religionis petierunt, à fine illius sue supplicationis initium sumplerunt. Ab illis ergo, atque ad eam Pontificibus, & responsis eorum finem huius religionis adducamus.

Finem huius religionis esse non solum proprium, sed alienam perfectionem querere.

In prima ergo Bulla Pauli III. in formula instituti ei proposita Societas ad hoc potissimum instituta dicitur, *ut ad profectum animarum in via, & doctrina Christiana, ad fidei propagationem, &c. præcipue intendat.* Et inferius ad vnumquodque Societatis membrum dicitur. *Curret primo Deum, deinde huiusmodi profectum rationem, quæ via quadam est ad illum, semper ante oculos habere, & finem hunc sibi à Deo propositum totum virum assequi.* Eadem verba ferè inueniuntur in simili formula oblata Iulio III. ut haberetur in prima eius Bulla. Idem repetunt alij Pontifices, præterim Greg. XIII. in constitutione. *Quanto fructuosius, ubi sic ait. Sicut finis dictæ Societatis fidei propagatio, & deservit, animarumque in via, & doctrina Christiana profectus, ut etiam gratia eius vocationis proprium est, diuersa loca de Romanis Pontificibus, ac præpositi Generali eiusdem Societatis directione peragrat, &c.* Et in altera constitutione. *Adhuc Domine. Cuius (scilicet Societatis) inquit, præcipuus finis est, catholica religionis defensio, ac propagatio, animarumque in Christo, ana via & doctrina profectus.* Deinde in suis constitutionibus sæpe hunc finem nobis proposuit B. Ignatius, magis; explicauit. Nam in examine (quod omnibus Societatem ingredi volentibus statim in principio proponitur) c. 1. n. 2. sic inquit. *Finis huius Societatis est, non solum salutis, & perfectionis propriarum animarum cum diuina gratia vacare, sed cum eadem impense in salutem, & perfectionem proximorum incumbere.* Et in p. 1. Constitutionum cap. 2. num. 8. ait: *Institutum Societatis esse recta tendere ad iuuandas, & disponendas animas ad sui ultimi finis consequentiam.* Ep. 3. cap. 1. §. 9. sic de Societate loquitur. *Quæ tota ad maiorem Dei gloriam, & vniuersalem bonum, & vniuersalem animarum salutem, & p. 4. statim in initio. Cum scopus ad quem Societas tendit, sit suus, ac proximorum animas ad finem vltimum consequendum, ad quem creatæ sunt, inuare, &c.* ubi in declaratione id distinctius explicatur. Ac denique ex hoc fine ferè omnia colligit, quæ in omnibus partibus constitutionum disponit, ut in discursu operis videbimus. Hic verò specialiter notanda sunt illa verba, quæ in 7. p. c. 1. §. 1. scripta reliquit de eodem fine, scilicet, *Qui finis nostri instituti valde proprius est.*

Satis ergo, & ex testimonio authoris instituentis, & ex assensu Pontificum approbantium, constat hunc esse finem Societatis. Neque hic alia ratio postulanda est: quia finis intentio, seu designatio libera est operanti, vel artificio: ille ergo est finis rei institutæ, quem ipse institutor sibi proposuerit, quemque intendere tenentur omnes, qui talem viuendi rationem profitentur. Deinde (à posteriori argumentando) ille est finis alicuius status, ad quem præcipue operationes eiusdem status, & media, quæ ad illas ordinantur, diriguntur; nam operatio est finis proximus, seu formalis; seu finis quo (ut Theologi loquuntur) id autem, quod per talem operationem comparatur, est finis, qui intenditur, seu cuius gratia res instituta est; sed omne ferè opus, ac negotium Societatis ad hoc tendit, ut animarum salutem, & perfectionem, quan-

tum diuinæ gratiæ cooperando potest, promoueat: & tota ratio instituendi, distribuendi, ac perficiendi membra sua in hunc finem respicit, ut ea faciat apta instrumenta ad animarum salutem procurandam, vel ad hoc opus aliquo modo iuuandum, vnumquodque pro ratione sui gradus; ergo signum est hunc fuisse finem Societatis: Maior, vt nota, supponitur ex 1. 2. q. 1. & 3. & ex Metaphysica. Minor, & ex bullis, ac constitutionibus citatis, & ex praxi, & vsu manifesta etiam est, & in sequentibus erit sæpius repetenda: nam magis à priori procedendo ex prædicto fine colligemus, quàm rectè sint hæc omnia in Societate instituta.

IV.
Puncta duo
distinguen-
da, ac ratio
distinguen-
di.

Vt autem finem hunc, & eius perfectionem amplius declaremus, duo circa illum inquirere possumus. Primum quomodo possit hic esse finis alicuius religiosi status. Secundum, si est, quo sensu dici possit Societatis proprius. Ratio dubitandi in utroque puncto est, quia finis ille duas partes includit; vna est propria perfectio ipsorum religiosorum; altera est sanctificatio, aut perfectio aliorum proximorum. Ex quibus prior est quidem accommodatus & proprius finis religiosi status. Posterior verò non videtur pertinere posse ad finem illius; non quidem quia infra illum statum sit, sed potius, quia multum illum excedere videatur. Ait enim Dionysius de celesti hierarchia cap. 9. Omnium diuinissimum esse, Dei cooperatore fieri circa animarum salutem iuxta illud 1. ad Corinth. 3. *Dei adiutores sumus*. Est ergo ille finis supremus omnium, qui esse potest in aliquo statu Ecclesiæ. Pertinet ergo ad supremum statum, qui est Episcoporum, non ad religiosum, qui inferior est. Docuit hoc eleganter Nazianz. oratio. 1. non solum attribuendo Episcopis tamquam propriè debitam perfectionem propriam, illis verbis, *Antistitis vitium est non quàm optimum esse, ac nouas subinde virtutum accessiones facere, siquidem virtutis sue præstantia multitudinem ad mediocritatem tracturus sit*; sed etiam de fine perficiendi alios ita differuit. *Hic scopus est anime pennas dare, ac mundo eam eripere, Deoque dare, diuinamque imaginem, aut manentem conseruare, aut perditam autem fulcire, aut dilapsam in pristinum statum reuocare. Quem finem dicit deinceps esse scopum totius diuinæ providentiæ Dei erga homines, & incarnationis Christi; ac tandem concludit. Ac nos huius medicæ scientiæ ministri, & adiutores sumus, quicumque alius præsidemus. Quibus cum magnum, atque amplum sit propria vitæ, morbosque percipere, ipsique mederi: multo tamen maius, ac præclarior est, aliorum morbos curare, ac scitè repugnare posse: atque ut vitæque vile sit: nempe, & his, qui curatione indigent, & his, qui mendicantiam proficiuntur. Videtur ergo arrogantia cuiusdam esse in inferiori statu, hunc finem sibi attribuere, & finem usurpare. Et confirmatur, ac declaratur ex dictis superiori tomo circa differentiam status religiosi ab Episcopali: nam Episcopalis, est status perfectionis exercendæ, seu communicandæ: religiosus verò est status perfectionis acquirendæ, vt docuit etiam D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 5. Propter quod etiam in cap. Hoc nequaquam. 7. q. 1. ex Concilio Constantinopolitano dicitur. *Monachorum vita subiectionis habet verbum, & disciplinatus. Et ob eandem causam Dionysius cap. 6 de Ecclesiastica hierarchia religiosum statum ponit in ordine iniciandorum, seu perficiendorum, & non in ordine ministrantium, seu perficientium. At verò incumbere aliorum salutis pertinet ad statum perficientium, ergo non potest esse finis accommodatus religioso statui: ergo status, qui habet hunc finem, hoc ipso deficit à ratione perfectæ religionis: tum quia non minus monstruosum est, & perfectioni contrarium, altiora se querere, quàm à debita perfectione deficere, cum quoddam arrogantia genus illud esse videatur. Tum etiam, quia eo ipso quòd in aliquo statu exceduntur limites ope-**

Franc. Suar. de statu relig. Tom. I. V.

randi ultra mensuram accommodatam tali statui, non solum perfectio non acquiritur, verum potius illi, qui talem statum profitentur, exponuntur etiam innumeris periculis amittendi etiam spirituales vitam. Quod præcipue contingere potest in hoc fine querendi salutem animarum, qui multa pericula habet annexa, præsertim superbæ, ambitionis, & vanæ gloriæ, & inferiorum lapsuum fragilitatis humanæ. Quod si fortè dicatur hinc solum probari, hunc non posse esse finem directum, & primarium alicuius religiosi status; non tamen inde concludi, per quandam redundantiam, & quasi extensionem non posse religiosum statum ad hunc finem ordinari. Si hoc (inquam) dicatur, primò repugnatur omnibus testimoniis adductis, & destruantur omnia, quæ de fine huius religionis hæcenus dicta sunt. Deinde nulla erit differentia in hoc inter illā, & alias religiones, præsertim mendicantes, quæ hoc saltem modo ad salutem proximorum ordinantur, veluti religio *Prædicatorum*, vt nomen ipsum præ se fert.

Enasio 962
concluditur.

Circa questionem hanc primum omnium statuendum est, finem hunc querendi proximorum salutem, & perfectionem, esse finem non accidentarium, nec secundarium huius religionis, sed principalem, & maxime proprium, vt verba instituti, & Pontificia scripta manifestè testantur; ita verò sumendus est hic finis, vt ab alio, scilicet, perfectionis propriæ acquirendæ non separetur, sed sit quasi determinatio eius, vel potius mutuo sese determinet, & ita ex eis constetur vnus adæquatus, & perfectissimus finis talis religionis. Vt autem hoc explicemus, & confirmemus, primum probandum est posse hunc finem salutis animarum, esse primarium scopum alicuius religiosi status, quod sumi potest ex D. Thom. 2. 2. q. 188. art. 4. & Caiet. ibi. Idque sic ostendo; nam licet religiones omnes pro scopo habeant perfectionem charitatis, singulæ tamen illam inquirunt peculiari modo, seu in proprio aliquo opere, seu ministerio quod est veluti proprius vnuscuiusque scopus, vt indicauit Moyses Abbas apud Calsianum collat. 1. ferè tota. & D. Bonau. in speculo disciplinæ cap. 6. tom. 2. opuscul. & in superiori tom. id declaratum est, circa statum religiosum in communi, & iterum hoc ipso tomo in tract. 9. circa varietatem religionum dicitur. Sic enim quædam religiones ordinantur ad solam contemplationem, vel laudem Dei, quædam ad hanc, vel illam actionem in defensionem Ecclesiæ, redemptionem captiuorum, curationem infirmorum, &c. Hinc igitur sic colligo; nam religio institui potest, quæ pro suo peculiari fine principaliter habeat aliquod ex prædictis misericordiæ operibus, vt ex vsu Ecclesiæ constat: ergo multo magis institui potest, quæ pro fine habeat maximum charitatis opus erga proximos, quale est eorum æternam salutem procurare, nullumque laborem propter hunc finem assequendum reculare.

V.
Quæstio de
vniuersali
salutem pos-
se esse finem
principalem
alicuius re-
ligionis.

Quin potius, si rectè verba Christi in Euangelio expendamus, hic videtur esse præcipuus finis status religiosi à Christo Domino instituti, vel significati. Nam Luc. 9. cum quendam ad perfectionem vocasset, dicens, *Sequere me, & illè respondisset. Domine, per-mitte mibi primum ire, & sepelire patrem meum*: Respondit Dominus, *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade, & annuncia regnum Dei*, indicans, propter hoc munus principaliter illum vocasse ad statum perfectionis, vt scilicet annuntiaret regnum Dei. Et Marci 10. dixit, *Nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, &c. propter me, & propter Euangelium, qui non accipiat centies tantum, &c. quam vltimam particulam solus Marcus addidit. Et Euthym. cap. suo 41. in Matth. Barrad. tom. 3. concord. lib. 5. cap. 10. & alij post Hieronymum Matth. 19. illam ita interpretantur, propter*

VI.
Sua de ur
religiosi à Christo Domino instituti, vel significati. Scriptura
testimoniis.

H h

Euangelium

Ratione idē
ostenditur.

Euangelium annuncianda. m. Sicutiam Apostolos, quos in religioso statu prius instituit, ad hoc principaliter vocauit, ut essent piscatores hominum. Est ergo hic non solum aptus, sed etiam maximè perfectus finis status religiosi. Ratione denique declaratur; nam finis, qui magnam perfectionem requirit, & cuius operatio, seu inquisitio, & per se spectata opus perfectionis est, & multum ad perfectionem iuuat, finis est status religiosi, cum ipse essentialiter sit status comparandæ perfectionis: sed huiusmodi est ille finis, ut per se manifestum est, & in prædictis bullis Societatis sæpius declaratur. Nam in prima formula instituti Paulo III. proposita dicitur, rationem huius instituti viam quandam esse ad Deum. Et Pontifex testatur, omnia, & singula (scilicet sibi proposita) ad spirituales profectum eorum sociorum, & reliqui Christiani gregis esse opportuna. Quæ iterum in bulla i. Iulij III. repetuntur. Et multa adduntur, quæ perfectionem, & excellentiam huius finis satis declarant. Præcipue verò notanda videntur verba illa, quæ ex parte Societatis proponuntur. Qui ad nos accessuri sunt, antequam huic oneri humeros supponant, diu multumque meditentur, an tantum pecunie spiritalis in bonis habeant, ut turrim hanc iuxta consilium Dominicum possint consummare: hoc est, an Spiritus sanctus qui illos impeller, tantum illis gratia polliceatur: ut huius vocationis pondus se laturos sperent: & postquam Domino inspirante huius Iesu Christi militiam nomen dederint, die nocteque, succincti lumbos, & ad tam grandis debiti solutionem prompti esse debeant. Et inferius sunt alia verba multum notanda, & præ oculis semper habenda. Reuera hoc institutum omnino humiles, & prudentes in Christo, & in Christiana vita puritate, ac literis conspicuos exigit. Non est ergo hic finis, tamen in se perfectissimus, statui religioso improporionatus, si ordinato modo, & per consentanea media intendatur.

VII.

Non repugnare reli-
gioso statui
simul acqui-
rere, & com-
municare
perfectionē
tamquam
duos fines
principales
partiales.

Quocirca quamuis de essentia status religiosi sit viam esse, & scholam propriæ perfectionis acquirendæ, ita ut à tali statu hoc separari non possit; non tamen illi repugnat, quod sit simul status perfectionis exercendæ, & communicandæ, ut etiam in tom. superiori circa statum religiosum in communi annotatum est. Et patet facile, tum quia, licet religiosi dicantur esse in via perfectionis, non tamen propterea excluditur, quin in religione esse possint, ac frequenter sint multi iam perfecti. Nam licet in præsentī vita, non ita perueniatur ad terminum, quin vltimè semper procedi valeat, ut lib. 9. de gratia, cap. 6. ostendi, perueniri nihilominus potest ad eum gradum, & perfectionem virtutis, in qua possit aliquis dici simpliciter perfectus, pro capto huius vitæ. Ergo hic gradus perfectionis non excluditur, sed potius intenditur in statu perfectionis religiosæ. Ergo eadem ratione possunt principaliter, & quasi vltimè intendi ea opera, quæ virum perfectum requirunt, cum omnis perfectio huius vitæ, vel in operatione sit, vel propter operationem: huiusmodi autem opera post synceram Dei dilectionem sunt illa, quæ circa salutem animarum exercentur, ergo exercere, & communicare hoc modo perfectionē non est repugnans huic statui. Eo vel maximè quod ipsamet operatio perficiendi alios, potest ita perfici, ut multum perficiat ipsum perfectorem, seu cooperatorem alienæ perfectionis; ergo rectè potest comprehendi in primario fine status religiosi, etiam si sit status perfectionis acquirendæ, quod insinuatum est in illis verbis B. Ignacij: Cuius primò Deum, deinde huius sui instituti rationem, quæ via quadam est ad illum quoad vixerit ante oculos habere.

In prædictis
bullis.

VIII.

Primum di-
scrimen, in

Ex quibus potest multiplex differentia assignari inter statum Episcopi, quatenus est status perficiendi alios, & statum religiosum, quatenus huiusmodi

actionem participat. Nam in primis Episcopus conuenit hoc munus per se, & ex officio, idcirco quatenus principaliter religiosi autem solum solum conuenire potest quasi ministerialiter, & in subsidium Episcopi, ut sentit D. Thom. dict. qu. 188. art. 4. & ibidem magis Caiet. explicauit. Vnde omnis potestas ad hos actus necessaria est iure ordinario in ipsis Episcopis, in religiosi vero quatenus tales sunt, solum esse potest per delegationem, vel ab ipsis Episcopis, vel ab vniuersali Ecclesiæ Episcopo. Vnde etiam, ut potestas perficiendi alios plenariè (ut sic dicam) sit in Episcopis, quoad potestatem quidem ordinis, absolute, & simpliciter, quoad potestatem autem iurisdictionis, quantum satis est ad ordinariam gubernationem, licet cum dependentia à capite, à quo potest illa iurisdicção limitari, quia ad ipsam gubernationem ita expedit. In religiosi vero solum est participatio aliqua huius potestatis, quæ regulariter non extenditur ad omnes actus perficiendi alios, neque enim possunt vel per sacramentum confirmationis fideles perficere, nec per ordinationem sacerdotes consecrare. Vnde potest alia differentia tandem considerari; nam in eo qui perfectus est, alios, duo requiruntur potestas, & probitas, seu sanctitas, aut perfectio personæ: status ergo Episcopalis constituit hominem in statu perficiendi alios, dando potestatem, non verò dando probitatem, sed hanc aliunde supponendo. Status verò religiosus, quatenus tendit ad perficiendos alios, eo præcipue tendit, ut conferat personæ probitatem, & perfectionem necessariam ad tam perfectam operationem expectando potestatem ab eo, qui illam conferre potest, voluntati eius tam concessionem potestatis, quam vsum eius committendo. Et ad hoc potest significandum, tam in dictis bullis, quam in constitutionibus Societatis, vbi cumque de eius fine agitur, coniungitur hæc dependentia, & subordinatio ad Summum Pontificem, ac si nos docere voluerit B. Ignatius, finem huius instituti, non tam esse prædicare, vel docere, &c. quam facere homines idoneos, expeditos, & expositos ex vi sui instituti, ad sanctè prædicandum, docendum, &c. sicut Summo Pontifici, vel à Prælo Societatis eius vicem habente, ad hoc fuerint destinati. Sic in i. bulla Pauli III. incipit formula instituti. Quicumque in Societate nostra, quam IESV nomine insigniri cupimus, vult sub Crucis vexillo Deo militare, & soli Domino & Summo Pontifici eius in terra Vicario seruire. Et tam in illa, quam in prima bulla Iulij III. monentur omnes socii, vt iungant, & quotidie animo voluant, Societatem hanc vniuersam & singulam sub S. D. N. Papæ, & aliorum Romanorum summorum Pontificum successorum eius fidei obedientiam militare. Et hinc ortum dicitur speciale votum obediendi Summo Pontifici circa missiones, quod professio Societatis faciunt: & circa hoc ipsum monentur socii nihil debere per se, vel alios circa has missiones procurare, sed totam hanc curam Summo Pontifici, & Præposito generali vices eius tenenti, esse dimittendam. Ex quibus omnib. rectè intelligitur finem intrinsecum (ut sic dicam) huius Societatis esse creare, & instituere ministros ita perfectos, ut ad ministeriū salutis animarum ad nutum voluntatis prælatorum dignè assumi possint, qui finis non est extra latitudinem illius status religiosi: qui est ad perfectionem acquirendam, licet illum eleues, & extendat etiam ad finem perfectionis comunicandæ, & exercendæ, modo proportionato religioso statui. Vnde adiungi etiam potest tertia differentia: status Episcopi per se primò ad aliorum vtilitatem ordinatur, & in ea sistit, quantum est ex vi status, ad propriam vtilitatem etiam spirituales; quamuis n. persona Episcopi in exercendo suo munere illam possit, & debeat intendere, tamen munus ipsi per se, & naturā suā solum est ad vtilitatem aliorum.

At verò status religiosus ita ordinatur ad animarum salutem, ut illam negotiationē respiciat, ut magnam perfectionem ipsius operantis, à cuius intentione, nunquam separat utilitatem aliorum, & ideo hanc ipsam utilitatem eo pondere, & mensura procurat, quæ propriam perfectionem non impediatur, sed potius ad eam iuvet. Hoc ergo modo finem hunc sibi Societas proposuit.

Quo pacto perfectio propria & proximorum possit esse finis Societatis proprius.

IX. Secundò principaliter colligitur ex dictis responso ad secundum punctum in num. 4. propositum, quomodo scilicet finis supra declaratus sit proprius Societatis, quantum ad eam partem in qua dicitur ordinari ad propriam perfectionem sociorum. Quæ difficultas ferè omnibus religionibus proponi potest, & maximè illis, quæ ad proximos non ordinantur, quia omnes hunc solum finem intendere videntur. Est igitur aduertendum, (quod etiam tractatu præced. lib. I. c. I. n. 4. notauimus) licet hic finis secundum se, & quantum ad rem illam in qua talis finis consistit, idem sit, nihilominus propter diuersum modum, quo à diuersis religionibus intenditur, diuersas rationes finis formaliter (vt aiunt) induere, licet materialiter id sit. Sicut enim Philosophi dicunt, eundem locum diuersis vijs circulari, aut recta intentione, induere diuersas rationes termini, aut finis; ita in præfati eadem charitatis perfectio intenta per talem regulam, aut viuendi modum, aut per peculiare vsum talis virtutis, induit diuersas rationes finis, atque hoc modo intenditur in diuersis statibus religionis. Nam à quibusdam queritur per peculiarem vsum contemplationis; ab alijs per vsum in aliquo opere charitatis, aut misericordiae; ab alijs per singularem obseruantiam paupertatis, &c. Et quamuis verum sit, ferè hæc omnia in omnibus, vel in pluribus religionibus obseruari; tamen ab eo in quo vnaquæque excedit, & cui cætera omnia quodammodo accommodantur, accipit propriam rationem, & denominationem suam. Sic ergo habet Societas proprium quemdam modum in propria suorum membrorum perfectione procuranda, ratione cuius finem illum, vt proprium & peculiarem sibi usurpat.

X. Videtur autem mihi modus hic in duobus præcipue consistere. Primò, quia partem hanc sui finis alteri parti accommodat, quæ ad perficiendos proximos pertinet; ita enim querit suorum sociorum perfectionem, vt totam illam medijs quibus comparatur, &c. velit deferre perfectioni proximorum. Vt v.g. cum meditatio, & contemplatio sit vnum ex potissimis medijs ad perfectionem acquirendam, Societas ita in ratione meditandi, & orandi suos instruit, vt per illam ipsam aptiores reddantur ad actionem circa animarum salutem intentam. Similiter moderatio in victu, & vestitu, vsum penitentiae, rigor, & asperitas corporis, media sunt valde utilia, & necessaria ad propriam perfectionem. Ex omnibus autem illis illud accipit Societas, quod ad propriam perfectionem sufficiat, & labores circa animarum salutem procurandam non impediatur, sed potius, quoad fieri possit ad illos iuvet. Pro certo enim habet, ac supponit, ex huiusmodi respectu, & accommodatione non esse propriam perfectionem suorum, vel minimum, minuendam; quia vera charitas, non est charitati contraria, neque ex fine salutis animarum, qui perfectissimus est, potest fructus aut perfectio aliorum operum religionis minui. Quin potius licet de substantia, seu materiali vsum (vt sic dicam) aliorum operum aliquid interdum remitti videatur, ex coniunctione tamen ad illum

Franc. Sgar. de statu relig. Tom. IV.

finem, & ex mirabili concentu, & proportionem, quæ ex omnibus illis operibus tali fini commensuratis confurgit, non solum suppletur, verum etiam mirum in modum augetur.

Secundò videtur consistere hic modus Societatis proprius in peculiari cultu, & singulari obseruantia obedientiae. De quo Beatus Ignatius in singulari epistola, quam de hac virtute nobis scriptam reliquit, ita num. 3. loquitur. *Ab alijs religiosis ordinibus facilius patiamur superari in ieiunijs, & vigilijs, & cætera victus, cultusque asperitate, quam suo quisque ritui, ac disciplina sancte suscipiunt: vera quidem ac perfecta obedientia, abdicatio neque voluntatis, atque iudicii maxime velim, fratres charissimi, esse conspicuos, qui in hac Societate Domino Deo nostro deseruiunt, eiusdemque Societatis veram germanamque sobolem, quæ nos distinguat, &c.* Et in constitutionibus sæpe id commendat, & exaggerat, præsertim p. 6. cap. 1. Tum (inquit) omnes plurimum obseruare, & in ea excellere studeant, nec solum in rebus obligatorijs, sed etiam in alijs, licet nihil aliud quam signum voluntatis superioris, sine vilo expresso præcepto videatur. Et infra. *Exactissime omnes nervos virtutum nostrarum ad hanc virtutem obedientiae, in primis Summo Pontifici, deinde superioribus Societatis exhibendam intendamus, ita vt omnibus in rebus, ad quas potest cum charitate obedientia se extendere, ad eius vocem perinde ac si à Christo Domino egredieretur (quandoquidem ipsius loco, ac propius amore, & reuerentia obedientiam præstamus) quam promptissimi simus.* Et infra requirit à suis obedientiam, tum in executione, tum in voluntate, tum in intellectu; de qua virtute prout in Societate docetur, & exercetur specialiter à nobis, infra in libro 4. à cap. 12. differendum est, nunc obiter solum hoc tactum est, vt intelligatur sicut aliæ religiones eminent vel in paupertate, vel in rigore penitentiae, vel in choro, &c. ita speciale studium Societatis esse in excellentia obedientiae, & per eam specialiter promouere suos subditos ad perfectionem propriam. Hæc autem excellentia attendi in primis potest ex parte materialis: aliæ enim religiones profitentur obedientiam secundum certam regulam mensuram, vt etiam D. Tho. 2. 2. q. 186. notauit. Hic autem nulla adhibetur mensura, præter supra indicatam, scilicet, vt opus iniunctum cum charitate coniunctum esse possit; vt declaratio addidit: *Huiusmodi sunt illa omnia in quibus nullum manifestum est periculi.* Deinde etiam quoad modum, summa perfectio postulat, scilicet, quod fit ex tota anima, ex tota mente, & ex totis viribus, his enim ferè æquivalent verba ex B. Ignatio relata. Consonat autem optimè hic peculiaris modus inquirendi propriam perfectionem cum alio membro contento, sub fine huius religionis, de quarenda perfectione proximorum, & cum priori etiam modo quaerendi propriam perfectionem, accommodatè ad procurandam etiam perfectionem proximorum. Quia ad hanc spirituales militiam contra mundum, & contra dæmonem strenuè peragendam, nulla virtus magis necessaria est, quam obedientia, tum quia per illam specialiter mouentur homines à Deo, tanquam instrumenta eius, quod in hoc negotio maxime necessarium est, iuxta illud: *Quomodo predicabunt nisi mittantur.* Et illud: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Tum etiam, quia in hoc opere necessarium est multa, & difficilia ministeria exercere, & varijs gentibus, & regnis, vel predicare, vel alijs modis spiritualiter iuvare: & ideo nisi ministri Societatis essent in hac virtute promptissimi, & valde exercitati, re vera non possent tantum opus pro dignitate sustinere.

Vltimò ex dictis difficile non est alteram eiusdem secundi puncti partem expedire, & explicare: quomodo propositus finis, quantum spectat ad salutem proximorum procurandam, sit proprius

Hh 2

huius

XI. Secundum in quo modus quaerendi perfectionem in Societate consistat.

In quibus excellentia obedientiae Societatis consistat.

XII.

Non solum
hunc finem
esse proprium
Societatis,
quia illi per
se conveniunt,
sed etiam
quia nulli
alii consu-
munt.

Nulli reli-
giosi ele-
ctorum hunc
finem con-
sumunt.

XIII.

A mona-
chatu hunc
finem per se
esse alienum.

Ordines mē-
dicantium
non esse per
se omnino
alienos ab
hoc insti-
tuto.

huius religionis. Potest autem proprius vocari, vel quia ipsi per se, ac principaliter cōvenit: & hoc sensu nullam habet dubitationem; quia & verbis satis expressis id asseruit noster Pater B. Ignatius, & ex omnibus dictis satis evidens est. Vel aliter dici potest proprius, quia ita illi convenit, ut nulli alteri religioni conveniat: & in hoc etiam sensu: si recte explicetur, verum quidem est: ostenditur autē breviter collatione facta cum alijs religionib. Ex quibus, ut supra distinximus, quædam clericorū sunt, aliæ monachorum. Et quidem religiones clericorum, quantum est ex statu, seu conditione personarum, aptæ sunt ad hunc finem, quia ad clericos per se spectant actiones, quibus animarum salus procuratur: tamen nulla alia religio clericorum est, quæ per se tendat, vel obligetur ad huiusmodi actiones: ergo nulla per se intendit hunc finem. Consequentia evidens est, quia religio maximè tendit, & obligat ad eas actiones, quibus finis ab ea principaliter intentus comparandus est, alioqui non essent media fini proportionata. Minor autem constabit facile discurrendo per huiusmodi religiones, ex quibus antiquissima est religio canonicorum regularium: novissima autem præter Societatem esse videtur religio Theatinorum, aut alia, quæ S. Pauli, vel etiam S. Barnabæ nominatur in Italia. Præter quas sunt aliæ minus notæ, quarum brevis memoria videri potest in Hieronymo Romano lib. 6. Nulla autem ex his ex speciali instituto & obligatione ordinatur ad actiones clericatus, quæ specialiter circa proximos versantur, sed peculiariter ad eas, quæ ad cultum divinum pertinent, ut ex usu ipso constat: & legentibus earum institutiones, & regulas seu vivendi modos, certius constabit.

Monachus autem iuxta suam primævam, & puram institutionem ad solam contemplationem institutus fuit, & ad hunc finem cetera omnia etiam exercitationes & labores corporis assuebat, quod manifestum erit legenti antiquos monachorum Patres, præsertim Basilium in varijs libris, seu sermonibus & institutionibus monachorum, & in Constitutionibus monasticis, ac regulis monachorum: & ex Cassian. libris de institutionibus monachorum, & collat. 9. a principio. Unde initio monachi regulariter clerici non erant, neque hoc per se pertinebat ad eorum institutum, ut sumitur ex ca. 1. de ecclesiast. hierarch. & D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 3. ad 2. Vide etiam quæst. 186. art. 7. ad 2. & q. 188. art. 1. ad 2. Quocirca religiones monachales secundum suam primævam institutionem, ad salutem proximorum procurandam per se non ordinantur, sed tantum ad perfectionem eorum, qui illas profitentur. Quod magna ex parte nunc etiam observari videmus in his religionibus, quæ veluti per antonomasiam nomen monachalium retinuerunt, ut sunt religio S. Benedicti, S. Bernardi, S. Hieronymi, Carthusiensium, Præmonstratensium, &c. Præter has verò, instituti postea sunt ordines mendicantium, præsertim D. Dominici, & D. Francisci, ordines siquidem Carmelitarum, & eremitarum S. Augustini, quoad primam institutionem antiquiores sunt, licet postea ad formam, & numerum religionum mendicantium sint accommodati. Hi igitur mendicantium ordines monachorum etiam sunt, & ex hac parte non habent pro fine actiones aliquas circa proximum, tamen ex peculiari institutione addidisse videntur statui monachatus respectum aliquem ad salutem proximorum procurandam: quod specialiter de religione S. Dominici affirmat tacite D. Thom. 2. 2. quæst. 184. art. 4. & opusc. 19. cap. 5. ubi occasione defendendi religionem suam ostendit posse religionem aliquam institui ad prædicandum, ad audiendas confessiones, &c. Et Caiet. dict.

art. 4. declarat esse proprium actum illius religionis prædicare non ex officio, sed ministerialiter subueniendo Episcopis in eo munere. Et hoc ipsum nomen illius religionis declarat, propterea enim Prædicantium appellata est: Nam nomen illud (vid. Thom. indicat) vacuum non est: indicat ergo proprium illius religionis munus, ad quod necesse est ordinari tanquam ad finem suum. De religione etiam Minorum dixit Gregor. IX. ut referatur in compendio Minorum, verbo, Prædicantes. S. 2. ministerium prædicandi ex professione sua illi convenire. Idemque de ceteris mendicantibus sentiendum est, quia quoad hoc ferè æquales censentur, licet nonnulla inter eas sit diversitas. Nam ordo Carmelitarum, & eremitarum ex prima institutione sine dubio non fuerunt propter hunc finem, sed postea ipso usu, ac tandem approbatione Pontificum ad huiusmodi opus assumptæ, vel extæ sunt: aliæ verò duæ religiones mendicantium monachorum ex prima intentione suorum fundatorum hunc finem participarunt, præcipue verò ordo Prædicantium: qui propterea in sacrarum literarum studijs semper floruit, quia ad prædictum finem hoc medium est in primis necessarium.

Nihilominus tamen in huius finis intentione aliquid proprium habet Societas I. E. S. V. ratione cuius merito potest finem illum sibi accommodare, & ab illo propriam rationem, & modum sui instituti recipere. Quod in primis in forma servata in prima institutione huius religionis, & ex verbis Pontificum, quibus illam approbarunt, quæ iam super retulimus, satis coniectari potest: in nulla enim aliarum religionum institutione, vel approbatione invenitur ita propositus, & toties repetitus finis, tanquam primarius illius religionis: quod credibile non est sine speciali, ac vera causa factum esse, & à Pontificibus receptum. Deinde res ipsa ita declarat. Nam in primis nulla alia religio speciali voto se huic muneri consecrat: Societas autem hoc facit per illud speciale votum, quo eius professi se obligant ad obediendum Pontifici, in missionibus ad salutem proximorum, & fidei defensionem, aut dilationem ordinatis: quod infra lib. 4. declarabimus. Nec refert, quod non omnes religioni Societatis, sed illi tantum, qui specialem professionem faciunt, hoc votum emittant: tum quia illa est præcipua Societatis pars, per quam hunc finem principaliter intendit, tum etiam quia reliqui omnes ad illam ordinantur, vel ut ad illum gradum perveniant, vel ut illum in suo munere adjuvent, atque ita omnes ad eum finem tendunt. Hinc potest secunda proprietas intelligi, nam aliæ religiones, etiam mendicantes, ita respiciunt hunc finem, ut totum religionis pondus non illum principaliter respiciat, sed valde secundario, & quasi ex abundanti, ut sic dicam. Et ideo nec particulares religiosi, nec prælati tenentur ita res suas, aut suæ religionis disponere, aut procurare, ut proximorum utilitati, & perfectioni deferant, sed post interna, & domesticæ officia sufficienter expleta, si commodè possint aliquid proximis erogare, tunc ex perfectione charitatis, & ex ratione sui instituti debent, ut procurarent, proximis in spiritualibus deferre: at verò in Societate totum religionis pondus ad hunc finem ordinatur, nec satisfaciunt prælati eius suo muneri, nisi hunc finem præ oculis semper habeant, & ita omnia, quæ ad religionem pertinent, moderentur, ut omnes, quoad fieri possit, huic muneri incumbant: singuli autem religioni eundem finem respicere debent, & ita se disponere, ut ad illum procurandum apti sint, & parati: neque aliter suæ vocationi satisfaciunt, etiam si in his, quæ ad propriam perfectionem pertinent, strenui sint, quod de ceteris religionibus non procedit. Denique ob hanc causam

Societas per se & ex primaria institutione est religio clericorum, seu presbyterorum, vt à Conc. Tri-
fess. 25. c. 16. & à Pio V. Greg. XIII. nominata est, &
in c. 6. explicabitur; quia nimirum actiones sacræ,
quibus salus proximorum procuranda est, propriæ
sunt clericorum: religiones autem monachorum,
etiam mendicantium, per se non postulant cleri-
catum, vt n. præce. notauimus, licet illum admittant;
signum ergo est, non ita per se intendere finem sal-
utis animarum, sicut à Societate intenditur.

C A P V T III.

*Quibus mediis utatur Societas IESV ad finem
sibi praestitutum.*

I. *Cur hoc e. de mediis ad finem explicatur?*
Quamvis tota ratio huius instituti, in his ferè medijs posita sit, & ideo in discursu totius tractatus sigillatim; & ex professo sint exponenda, nihilominus operæpretium visum est illa hic summam colligere, quia neque vilitas, neque perfectio huius religionis, neq; alię proprietates, quas de illa ostendere intendimus, intelligi poterunt, non habita prius aliqua saltem generali notitia talium mediorum. Vt enim religio aliqua perfecta sit, non satis est quod perfectissimum finem habeat, nisi etiam medijs vtatur ad perfectam illius finis consequentiẽ accommodatis; sicut neq; e conuerso ad perfectionem religionis satis est in optimis fe exercere operibus, nisi illa sint proprio fini talis religionis accommodata. Denique finis & media adeo sunt inter se connexa, vt licet in generali consistet ex dictis in precedenti capite, quem finem intendat Societas, non tamen satis explicari valeat, quam perfectè, & exactè finem illum intendat, nisi finem, quibus ad illum consequendum vtitur, considerentur.

II. Quoniam ergo finis Societatis duas principales partes includit, quæ sunt perfectio propria, & proximorum; duplici etiam genere mediorum vitur. Vnum est eorum, quæ ad perfectionem propriam suorum subditorum ordinantur; aliud ea continet, quæ proximorum commodis inserviunt. Quia verò præced. cap. à num. 5. diximus ita Societatem intendere suorum sociorum perfectionem, vt totam illam quoad fieri possit perfectioni proximorum velit inferuire. Nam vt dixit Bonifacius Papa, in ca. *fuit nonnulli. 1.6. quæst. 1. quomodo quisque cessator. scilicet in virtute, & perfectione, tanto est in his potentior: in his videlicet actionibus, quibus salus proximorum procuratur. ideo possunt non immerito omnia media quibus Societas vitur, dici esse ordinata ad proximorum salutem.* Tamen in hoc est diuersitas, quæ in idem ferè redit; nam quædam ordinantur immediatè ad propriam sociorum perfectionem, licet mediatè etiam referantur ad alios; alia verò proximè & immediatè versantur circa proximos ipsos, quanquam illa etiam in bonum ipsorum ministrorum redundent, vt superiori cap. etiam tactum est, num. 7. 8. & 10.

Quibus mediis Societas immediate propriam sociorum perfectionem procuret?

III. In priori ordine numerari inprimis possunt ea, quæ sunt simpliciter necessaria ad perfectionem essentialẽ charitatis, sed hæc communia esse debent Christianis omnibus, continenturq; sub obseruatione præceptorum omnium: & sub illo vñ virtutum tam moralium, quàm theologicarum, sine quibus charitas obseruari non potest, de quibus medijs nihil hic in speciali dicere necesse est. Deinde numerantur etiam hic possunt illa media, quæ ad perfectionẽ Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

charitatis obtinendam omnibus religionib. communia sunt; qualia sunt præcipue actus pertinentes ad tria vota essentialia: & ad internum Dei cultum, per orationes, meditationes, lectiones, & alia religionis opera. Item actus pertinentes ad corporis castigationem, & ad perfectam sui abnegationem, & mundi renunciationem. Omnis enim religio, vt perfecta fit, aliquid peculiare in his omnibus obseruare debet, ex vi sui instituti, præter id quod ex vi præceptorum necessarium est. Hæc autem omnia Societatem perfectam quadam ratione procurare circa suos subditos manifestum est. nam in primis tria substantialia vota religionis emittit. Et licet in modo vouendi in aliquibus membris suis aliquid singulare habeat, quatenus illa vota solennia non sunt, tamen infra lib. 3. ostendemus, hoc nihil eorum perfectioni obesse, quin potius multum proficere possit, quia quantum est ex parte ipsorum vouentium, sunt omnino perpetua, & æqualiter eos obligant: illa vero dependantia, quam semper à Societate habent; eos potius reddere potest, & debet in ipsorum votorum perfecta obseruatione sollicitos.

Alunde vero ex parte materia exactam perfectionem in huiusmodi votis Societatis profectur. Licet enim verum sit, votū castitatis ex parte materiae non admittere diuerfos gradus, vt S. Bonauent. in expositione regulæ cap. i. circa finem dixit. Propter quod etiam Pater noster B. Ignatius 6. p. confitit. cap. i. §. i. ait. *Quæ ad votum castitatis pertinent, interpretatione non indigent, cum confes, quàm si perfecte obseruanda, nempe nitiendo Anglicam puritatem imitari, & corporis, & mentis nostræ munditia.* In quib. verhis imitatus est sanctos Patres, qui virginitatem profitentes cum Angelis conferre solent, quos superiori tomō retulimus, tractando de voto simplici castitatis. Licet (inquam) hoc verum sit, nihilominus in modo, & perfectione obseruandæ castitatem, gradus aliqui distingui possunt, vt videri potest apud Calsian. collat. 12. c. 7. Quos omnes, sine dubio, perfectionis nostræ instituti amplectitur, vt ex verbis Beati Ignatii patet manifestè. Possunt etiam (quod ad perfectionem magis necessariū est) distingui varia media, quibus & castitas custodiatur, & perfectio eius acquiratur. Et in his mirum in modum abundat, & excellit hoc institutum. Nam huc spectat summa superiorum vigilantia, & inferiorum charitas, ita vt ipsas etiam cogitationes statim manifestare, & communicare moneantur, vt libro 10. cap. 6. magis exponetur. Item hic maxime refertur custodia sensuum, vitare otium, cauere colloquia foeminarum; nisi cum magna circumspectione, necessitate, vel vtilitate, sacramentorum pœnitentiæ, & Eucharistiæ frequens vsus, ac denique, moderatio victus, ac vestitus, cum alijs quæ ad asperitatem corporis pertinent, iuxta vniuersumque proportionatâ mensuram, vt inferius c. 9. fusiùs exponemus: ibiq; satisfaciemus nonnullis obiectiōibus, quæ in hac parte nobis fieri solent. Soli aduerto inter hæc Notatio contra accusantes Societatem nimis rigoris in quibusdā, & minimi in alijs.

In votis paupertatis, & obedientiae possunt ex parte